Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 781
Quelle:
Copyright:

XVIII. *fol.* 36. p. 2. E praevio *Codici* Elencho: *Ejusdem* (Aug.) *de sexta feria.* Initium: *Evangelicę series lectionis qua per ordinem passionis dominicę gloriam didicistis. credo quod adfatim non solum aures. sed et corda uestrę deuotionis expleuerit.* Percurritur breviter Reliquum *Passionis Christi*, et definitur in haec verba: *uacui facti sunt carceres sepulchrorum et rediuiua corpora dominum agnouerunt.* Videtur ejusdem cum praecedente Autoris mihi ignoti; *Augustini* enim non esse, cum stilus, tum frequentes, in quos erumpit, adfectus suadent. Atque in hoc *Sermone* finit Elenchus *Codici* praefixus.

XIX. *fol.* 38. p. 2. Inscriptio a secunda manu: *Incipit Vita Sancti Augustini Episcopi a Possidio episcopo conscripta.* Initium: *Inspirante Rerum omnium Factore et Gubernatore* (Deo) *mei memor propositi* &c. Vita haec a *Possidio* Ep. *Calamensi* in *Numidia*, qui per annos paene XL. magni Praesulis, ut ait, *caritati inhaesit*, scripta legitur edit. *Maur.* T. X. *append. col.* 257. et quidem correctius, quam in *Cod.* ubi mox sub initium insidiosa menda *euangelica* pro *angelica* et *Kartaginensi* pro *Thagastensi.* Finis: *et in futuro omnipotentis dei promissis cum eodem perfruar. Amen.*

XX. *fol.* 62. *Incipit sermo domini iohannis constantinopolitani episcopi.* Initium: *Rogat dauid. ut multum ab iniquitate saluetur. quod ergo pro hoc munus intulit? Deo dixit. miserere mei* &c. Neque *Sermo* integer est, sed excerptum ex *Hom. II. in Psal.* L. quae legitur in edit. *Opp. Paris.* T. V. 1724. p. 588. Neque *Homilia* ista *Chrysostomi* est, ut *ibid.* p. 572. docet *Montefalconius.* Neque Versio exacta. Ita paullo post quod graece: συναλλαγμα ἐστι. διδωσιν ὁ θεος, διδωσιν ὁ σωζομενος. ἐδωκεν ὁ θεος ἐλεος, ἐδωκεν ὁ σωζομενος ἐξομολογησιν. Noster reddit, *Uicissitudo est. deus dat quod et saluti proficiat reus. Deus dedit misericordiam suam. dedit et qui peccauit confessionem peccatorum suorum.* Ultima sunt: *et dum hęc facis deus dat remedium animę tuę*, quae nequidem in Graeco habentur.

XXI. *fol.* 63. p. 2. ἀνεπιγραφως *Congeries* quaedam *Praeceptorum* moralium, cujus initium: *Dilige deum. sapientiam disce. omnia cum mensura age. Quod odis et tibi fieri non uis alii non facias* &c. Finis: *Scit enim deus petitiones tuas ante quam petas. et quę cogitas non ignorat.*

XXII. *fol.* 65. rursus ἀνεπιγραφως Assertio *Deum esse factorem Animarum.* Initium: *Sic enim dicit deus. a me enim exiit spiritus. et flatum omnem ego creo. Nonne hic est deus qui uocauit puerum suum iacob et israel seruum suum qui finxit eum in utero* &c. Ita conglobatis multis Scripturae locis concluditur: *Cesset assertio prauissima nullis auctoribus communita. cesset plato qui dicit fontem esse animarum. cesset hermogenes qui dicit nihil post mortem*